

la rivista di **engramma**
giugno **2025**

225

μετὰ τὰ κριτικά

La Rivista di Engramma
225

La Rivista di
Engramma
225
giugno 2025

μετὰ τὰ κριτικά

edited by

Vincenzo Damiani and Roberto Indovina



edizioni**engramma**

direttore

monica centanni

redazione

damiano acciarino, sara agnoletto, mattia angeletti,
maddalena bassani, asia benedetti, maria bergamo,
mattina biserni, elisa bizzotto, emily verla bovino,
giacomo calandra di roccolino, olivia sara carli,
conchetta cataldo, giacomo confortin,
giorgiomaria cornelio, vincenzo damiani,
mario de angelis, silvia de laude,
francesca romana dell'aglio, simona dolari,
emma filipponi, christian garavello, anna ghiraldini,
ilaria grippa, roberto indovina, delphine lauritzen,
annalisa lavoro, laura leuzzi, michela maguolo,
ada naval, viola sofia neri, alessandra pedersoli,
marina pellanda, filippo perfetti, chiara pianca,
margherita picciché, danielle pisani, bernardo prieto,
stefania rimini, lucamatteo rossi, daniela sacco,
cesare sartori, antonella sbrilli, massimo stella,
ianick takaes, elizabeth enrica thomson,
christian toson, chiara velicogna, giulia zanon

comitato scientifico

barbara baert, barbara biscotti, andrea capra,
giovanni careri, marialuisa catoni, victoria cirlot,
fernanda de maio, alessandro grilli, raoul kirchmayr,
luca lanini, vincenzo latina, orazio licandro,
fabrizio lollini, natalia mazour, alessandro metlica,
guido morpurgo, andrea pinotti, giuseppina scavuzzo,
elisabetta terragni, piermario vescovo, marina vicelja

comitato di garanzia

jaynie anderson, anna beltrametti, lorenzo braccesi,
maria grazia ciani, georges didi-huberman,
alberto ferlenga, nadia fusini, maurizio harari,
arturo mazzarella, elisabetta pallottino,
salvatore settis, oliver taplin

La Rivista di Engramma

a peer-reviewed journal

225 giugno 2025

www.engramma.it

sede legale

Engramma

Castello 6634 | 30122 Venezia

edizioni@engramma.it

redazione

Centro studi classicA luav

San Polo 2468 | 30125 Venezia

+39 041 257 14 61

©2025

edizioni**engramma**

ISBN carta 979-12-55650-88-1

ISBN digitale 979-12-55650-89-8

ISSN 1826-901X

finito di stampare luglio 2025

Si dichiara che i contenuti del presente volume sono la versione a stampa totalmente corrispondente alla versione online della Rivista, disponibile in open access all'indirizzo: <https://www.engramma.it/225> e ciò a valere ad ogni effetto di legge.
L'editore dichiara di avere posto in essere le dovute attività di ricerca delle titolarità dei diritti sui contenuti qui pubblicati e di aver impegnato ogni ragionevole sforzo per tale finalità, come richiesto dalla prassi e dalle normative di settore.

Sommario

- 7 *μετὰ τὰ κριτικά. Debate and Polemic as Strategies of Knowledge in Ancient Greek Culture. Editorial*
Vincenzo Damiani and Roberto Indovina
Polemics in Antiquity
- 17 *Was können die Musen Hesiod lehren? Die Wahrheit und ihre Feinde in der Theogonie*
Mauro Tulli
- 31 *Un dibattito antico sulle strategie argomentative. Platone e la διαίρεσις come Begriffsspaltung*
Marianna Angela Nardi
- 47 *Antike Kritik an der sokratischen Pädagogik am Beispiel der Epikureer*
Vincenzo Damiani
- 65 *Con o senza akribeia? Su filosofia e scienza nel dibattito ellenistico*
Selene I.S. Brumana
- 85 *Ancora sull'οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον. L'anomalia olimpiodorea*
Luigi Trovato
Modern and Contemporary Critical Debates
- 123 *Critias' Pirithous and Aristophanes' Frogs. Metatheatrical Echoes and the Critical Debate*
Monica Centanni
- 147 *Lisistrata e il Commissario. Dialettica comica e identità performativa*
Alessandro Grilli
- 175 *De "magna muliere" in Callimachi Aetiorum prologo nonnulla disputantur*
Paolo B. Cipolla
- 187 *Arqueología filológica y filología arqueológica. Interrogantes y controversias epistemológicas persistentes*
Roberto Indovina

Modern and Contemporary Critical Debates

De “magna muliere” in Callimachi Aetiorum prologo nonnulla disputantur

Paolo B. Cipolla

Locus est in Callimachi *Aetiorum* prologo inde ab editione principe^[1] probe cognitus ac pluries tractatus temptatusque, ubi poeta ad brevitatem contra Telchinas commendandam exempla affert Philitae Coi et Mimnermi Colophonii: eorum enim carmina, quamvis tenuia, meliora longis dulcioraque fuisse ostendit. Qui versus in editione Harderiana sic se habent (fr. 1, 9-12; Harder 2012, I, 117; ex eius apparatu notabiliora tantum hic rettuli, nonnulla addidi vel tacite correxi):

.]. . ρεην [ὅλ]ιγόστιχος ἀλλὰ κατέλκει
. . . . πολλὴ τὴν μακρὴν ὀμπνια Θεσμοφόρο[ς] 10
τοῖν δέ] ὄμοῖν Μίμνερμος ὅτι γλυκύς, αἰὶ γ' ἄπαλαί [
.] ἡ μεγάλη δ' οὐκ ἐδίδαξε γυνή.

9 init. Κῶιος suppl. Edwards : χά Κῶος] Luppe : ἦ μὲν δὴ Pfeiffer |]γῶρ ἔην Lobel (γὰρ iam Hunt) | κατέλκει Hunt cl. Schol. Lond. (vide infra) || **10** init. δρῦν Housman : νηῦν Vogliano (ναῦν Smotrytsch) : γραῦν Gallavotti : γρηῦν vel γρεῦν Maas : Κῶν Vitelli : θεῦν Hollis, Matthews : δὴ Cameron, alii alia | πολλὴ Hunt cl. Schol. Lond. (vd. infra) || **11** init. suppl. Housman | αἰὶ γ' ἄπαλαί [τοι (vel μὲν) Luppe : αἰὶ κατὰ λεπτόν Rostagni (rec. Pfeiffer) cl. Schol. Lond., ubi tamen ita scriptum non fuisse et αἰ μεγαλ() sscr. μεγα potius esse legendum docuit Bastianini : αἰὶ μεγάλαι [μὲν (Luppe) Lehnus : αἰὶ μεγαλ[εῖαι Casanova (μεγαλ[εῖαι vel μέγα λ[εῖαι etiam Sbardella) || **12** init. ῥήσεις Rostagni : νήνιες Luppe : τέρψεις Angiò : ἀδόνες Casanova : ψδοί μ' Sbardella.

Textus, ut patet, prae multis lacunis et dictione obscura haud facilis intellectu est; accedunt quidem Scholia quae dicuntur Londiniensia in *P.Lond.Lit.* 181 servata, sed ea quoque parum perspicua, cum propter scripturam compendiosam ac saepe evanidam lectu difficillima sint (primum ed. Milne 1927, 148-150^[2]; textum linearum 9-13 quem hic exhibemus paravit Bastianini 1996 et 2009):

ἦτοι πολὺ κατέλ
κει ἦ τ(ήν) πολὺ μακρ(ήν) 10
ἐδίδαξαν αἰ μεγαλ()
οὐκ ἐδίδ(α)ξεν) ἡ μεγάλη(η)
λέγει ὅτι γλυκ(ύς) ὁ Μίμ(νερμος)

11 μεγαλ() sscr. μεγα[legit Bastianini 2009 : μεγαλ() sscr. μετ[idem 1996 : μεγα s.l. iam Lobel

et μεγάλ(αι) in linea Bell teste Lehnus 2006 : μ . . α ed. pr. : ἄπαλ() sscr. μετα[(i.e. μεταφορά vel sim.) Luppe, prob. Harder : κ[α]τὰ (λεπτόν) sscr. μ[ικρ]ά Rostagni[3], κατὰ sscr. λεπτά Milne 1929, unde κατὰ sscr. λεπτ(όν) Pfeiffer

Aliquid lucis paulo post attulerunt Scholia Florentina (*PSI* 1219, fr. 1), quae primum ediderunt Norsa, Vitelli 1933; 1935, 139-149 (textum linearum 12-15 quem hic exhibemus paravit Bastianini 2006, 160):

[(παρὰ)]τρίθετῳ τε ἐν σ(υ)γκρίσει τὰ ὀλίγων στί-
 [χιδῖ]ψυ ποιήματα Μιμνέρμου τοῦ Κο-
 [λοφω]νίου κ(αί) Φιλίτα τοῦ Κῶου βελτίονα
 τ(ῶν) πολ]υστίχων αὐτ(ῶν) φάσκων εἶναι 15

12-13 στί|[χιδῖ]ψυ Bastianini : στί|[χ(ων) ὄν]τ(α) dub. Norsa, Vitelli : **13**]τ cum compendio “verisimilius” putat Harder | **15** αὐτ(ῶν), non αὐτ(ά) legendum, vd. Parsons ap. Hollis 1978, 405; McNamee 1982

Hinc satis aperte patet in Callimachi versibus 9-12 Philitae et Mimnermi brevia carmina cum longis comparari iisdemque anteponi (vd. Pfeiffer 1949, 2, appar. ad I.; comparisonem ad Mimnermum pertinere iam viderat Hunt 1927, 52, Scholiis Florentinis nondum editis). In prioribus duobus versibus Philitam ut ὀλιγόστιχον laudari plerique studiosi arbitrantur[4], id quod primus intellexit Edwards 1930, 110; unde initio “Nam Cous ille quidem paucorum versuum poeta fuit” vel simile quiddam scriptum fuisse eo duce suspicati sunt. Illius enim elegia quae Ceres, Graece Δημήτηρ inscribebatur (vide fr. 5a-21 Spanoudakis), verbis “alma legum latrrix” (ὄμπνια Θεσμοφόρος) manifeste significatur; eam aliud longius carmen tam facile pulchritudine superasse ait poeta, ut hoc tamquam in altera librae lance positum ad imum traheret (v. 9 καθέλκει)[5]. De quo carmine agatur, et utrum Philitae ipsius sit necne, adhuc non constat; aut Philitae elegias sub Bittidis nomine collectas hic tecte significari opinati sunt studiosi (e.g. Gallavotti 1933, 233; Cameron 1995, 316-317) aut epicum carmen cui titulus esset Δρῦς (Coppola 1932/33, 41-46; vide etiam Wimmel 1958, 352), Κλήθρη (McKay 1978, 38) vel Κῶς (Vitelli ap. Norsa, Vitelli 1935, 141 adn. 2), unde initio versus 10 suppleverunt alteri γραῦν (Gallavotti 1933, 233; γρηῦν vel γρεῦν Maas 1934, 163, qui tamen id de Antimachi Lyde dictum esse putabat), vel etiam δῆ (Cameron 1995, 317, μακρὴν ad Bittida “corpore longam” pertinere ratus), alteri δρῦν (Coppola et alii duce Housman, qui vero non carminis esse titulum sed magnitudinem significare, Θεσμοφόρος autem pro “tritico” dictum esse ratus erat, quasi diceret poeta immanem quercum tritico pusillo vinci), Κῶν (Vitelli) vel alia (expositionem rei pleniorē apud Massimilla 1996, 206-213 invenies). Bittida quandam a Philita carminibus celebratam esse testantur antiqui (Hermesian. CA 7, 75-78 = Philit. T 2 Spanoudakis; Ov. *Pont.* III, 1, 57-58 = T 24d Span.; cfr. Id. *Trist.* I, 6, 1-2 = T 24c Span.), sed id nomen eius elegiarum libris praefixum fuisse nemo auctor est (Spanoudakis 2002, 431); adde quod Callimachus monosyllabo γραῦς/γρηῦς/γρεῦς nunquam utitur, sed semper disyllabo γρηῖς (Pfeiffer 1949, I, 2, appar. ad I.; cfr. Aet. fr. 63, 4 Hard.; 75, 67, etc.), et praesertim, quod vix ulla causa erat cur mulier a poeta amata “anus” appellaretur (Hollis 1978, 403). Lon-

gi carminis Coi insulae historiam enarrantis, nobis incogniti, vestigia per aliorum scriptorum libros latentia fuerunt qui deprehendere temptarent (vide in primis Sbardella 1996), sed nihil mihi invenisse videntur, quod pro certo haberi possit.

Tertia autem via est, quam qui sunt ingressi opinantur non ipsius Philitae sed alius poetae longum carmen cum *Cerere* comparari; quam quidem opinionem ut veritati propiorem libenter probaverim. Philitam enim carmen perpetuum scripsisse parum veri simile videtur (vide e.g. Spanoudakis 2001; 2002, 43 sqq.), immo poeta non ob aliam causam a Callimacho appellari potuit ὀλιγόστιχος, nisi quod omnia eius carmina brevitate erant insignia ideoque venusta; mirum igitur erat, si in eis grave ac productum opus inveniretur quod ceterorum mensuram excederet. Ratio multo melius constet, si Philitas alii poetae eidemque πολυστίχῳ opponatur. Nonnulli de Antimacho cogitaverunt, ut e.g. Matthews (Matthews 1979, 131) et Spanoudakis (Spanoudakis 2001, 437-439); initio v. 10 alter θεῶν (“dea” i.e. Diana, quod revera iam Hollis 1978, 403-404 coniecerat), de Antimachi deperdito poemate Dianae dicato et duos saltem libros complectente dictum esse opinatus (v. Steph. Byz. κ 190, p. 379, 11-12 Mein. = III, 108, 9-10 Billerb.), alter Housmani δρῦν reposuit, de ingenio ligneo, id est stolido, hominis ad Philitae poesim iudicandam inepti (vide et. Harder 2012, II, 33-35, quae etiam dubitat an δρῦς veterem poesim, Θεσμοφόρος novam significet, *ibid.* 40). At expectaveris potius Callimachum Philitae carmini saepe ab antiquis laudato aliud opus insigne opposuisse, non Antimachi poema quoddam paene incognitum, neque ‘rude ingenium’ generaliter dictum. Quare mihi quidem commendanda videtur vox νῆῦν a Vogliano suppleta (ap. Milne 1931, 118), qua Apollonii Rhodii “longam navem”, id est *Argonauticorum* libros quattuor, tecte indicari a vero non abhorret (vide etiam Casanova 2015, 151; notandum est iam Edwards 1930, 110 coniecisse nomen δρῦν, quod Housman posuerat, ad quercum illam fatidicam Dodonaeam referri posse, e cuius materia trabs princeps Argus navis facta erat). Obiecerit forsitan quispiam Apollonii nomen in Telchinum indice, qui in scholio Florentino legitur, non inveniri: nec tamen inde sequitur eius carmen a poeta tangi non posse. Fieri enim potuit ut *Argonautica* a Callimachi obtrectatoribus *Aetiis* anteponerentur, licet Apollonius ipse Callimachum numquam, quod quidem compertum habemus, conviciis lacerasset (immo vero constat eum *Aetiorum* libros et novisse et saepe in *Argonauticis* imitatum esse^[6]): unde inter Telchinas non adnumeraretur, et tamen Callimachus abstinere non potuerit quin eius operis mentionem faceret, ut eorum vituperationes refelleret. Neque vero e verbis scholiastae Florentini illud colligere mea sententia licet, comparisonem solum inter utriusque poetae, Philitae dico et Mimnermi, opera breviora et longiora fuisse factam, cum τὰ πολυστίχα ad aliorum quoque scriptorum carmina spectare possit (vide etiam Casanova 2011, 197, qui βελτίονα τῶν πολυστίχων αὐτ(ῶν) “meliora esse quam longa poemata ipsa”, non “ipsorum” scil. Philitae et Mimnermi, vertendum esse putat); sed quocumque sensu id accipis, potuit utique scholiasta Callimachi locum perperam intelligere. Ita ergo censeo, Philitae saltem *Cererem* cum carmine longiore non eiusdem sed alius componi, nescio an cum Apollonii *Argonauticis*.

De Mimnermo aliter res se habere videtur. Ait enim Callimachus, non “magnam mulierem” Mimnermi dulcedinem docuisse, id est, non in eo carmine sub “magna muliere” latente ean-

dem suavitatem inveniri quae in ceteris Mimnermi operibus elucere solet. Multi mulierem hanc Antimachi Colophonii *Lyden* fuisse putaverunt (e.g. Barigazzi 1956, 167-168; Puelma 1957, 96; Matthews 1979, 133; Spanoudakis 2001 et 2002; Harder 2012, II, 33), cui Callimachus in *Epigrammatis* infamem illam notam παχὺ γράμμα καὶ οὐ τοπὸν impressit (fr. 398 Pf.); quasi vero poetae cuiusquam virtutes non in ipsius versibus sed in recentioribus imitatoribus admirandae essent, et Antimacho vitio dari posset, quod *Lyde* quam suavis esset Mimnermus non satis ostenderet. Non enim aliud in hac iure reprehendi poterat, nisi quod *in ipso Antimacho* nulla inveniebatur suavitas; immo vero *Lyde*, si Callimachi sententiam sequi velimus, Mimnermum dulcem fuisse eam ipsam ob causam ostendebat, quod illius suavitate careret (Allen 1993, 152 adn. 10)! Debet igitur τοῖν δὲ] δυοῖν (v. 11) ad duo opera pertinere eademque ambo Mimnermi, quorum alterum dulcedine praestabat, alterum, i.e. “magna mulier”, ingenti mole laborabat. Facile ergo concluditur aut de *Nannone* aut de *Smyrneide* agi (vide Allen 1993, 153 sqq.; Massimilla 1996, 208), quarum alterutri breviora suavioraque carmina opponantur. Sed de hoc inferius.

Nunc vero transeo ad huius symbolae summam, quae in hoc posita est, quid in fine versus 11 scribendum censeamus, id est quae sint eae res suavitatem brevitatemque metaphorice significantes quae “magnae mulieri” opponuntur. Quae verba Rostagni in Scholiis Londiniensibus legi posse crediderat, αἱ κατὰ λεπτόν, a studiosis instar verbi divini recepta prope septuaginta annos in editionibus manserunt (Rostagni 1928, 11 sqq.; ad rem cf. Benedetto 1990; Lehnus 2006), donec Bastianini (Bastianini 1996) papyro inspecta non ita ibi scriptum fuisse docuit, sed αἱ μεγάλα (); his verbis tum quidem μετὰ suprascriptum esse arbitrabatur, quod aliquot annis post (Bastianini 2009) μετὰ legendum esse demonstravit. Ceterum Lobel μετὰ supra lineam et Bell αἱ μεγάλα(ι) in linea iam tum legisse, cum Scholiorum Londiniensium textum a Milne constitutum corrigerent, easque veras esse lectiones quibus studiosi ad restituendum locum niti deberent, optime monuit Lehnus 2006, 138-139, 146-147; unde sequenti anno Angiò μεγάλα(ι) [μὲν (Luppe, Lehnus) / τέρψεις], “magnae delectationes, magna oblectamenta”, et aliquanto post Casanova μεγαλ[εῖαι / ἁδόνες] (i.e. ἁηδόνες) in Callimachi versu scribendum proposuerunt (Angiò 2007; Casanova 2011, 196; 2015, 145 sqq.). “Magnificae” seu “splendidae luscinae” poesim significant tenuem dulcemque ut sunt aves illae, quae mulieri crassae molestaeque longum carmen significanti aptissime opponuntur (vide eiusdem Callimachi *Epigr.* 2, 5 Pf. = 34, 5 G.-P., ubi ἁηδόνες sunt carmina Heracliti, poetae sodalis, necnon *Aetiorum* prologum ad v. 16, ubi ὁ[ηδονίδες] probabilissime restituit Housman(7)). Aliud Wolfgang Luppe censuit, cum in scholio ἁπάλ() sscr. μετὰ (i.e. μετα[φορά] vel sim.) legendum putaret et in Callimacho αἱ γ' ἁπάλαι [τοι (vel μὲν) / νήνεις], i.e. “tenerae iuenculae”, supplendum.

Mihi quidem μεγάλα () scriptum fuisse in scholio duabus de causis veri similis videtur, cum et ea lectio a Bastianini papyro denuo inspecta confirmata sit, et verbum adiectivo μέγας stirpe cognatum illius mulieris *magnitudini* callidius opponi videatur quam aliud omnino alienum. Illud tamen me movet, adiectivo μεγαλειος eandem, quae est in voce μέγλη, magnitudinis significationem inesse; magnitudinem quidem in carminibus a Callimacho vitium perniciosius-

simum et pestem quam maxime vitandam iudicatam esse, omnibus probe notum, si quis non modo totum *Aetiorum* prologum, verum etiam sententiam illam apud Athenaeum III, 72 A poetae tributam prae oculis habeat, in qua μέγα βιβλίον et μέγα κακόν aequantur (Call. fr. 465 Pf. Ὅτι Καλλίμαχος ὁ γραμματικὸς τὸ μέγα βιβλίον ἴσον ἔλεγεν εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ). Adde quod adiectivum μεγαλεῖος apud prosae orationis scriptores potissimum occurrit, inter poetas vero apud comicos tantum, eosque aut mediae aut novae quae dicitur Comoediae[8]: Callimachum vocem recentioris aetatis et a sublimiore poetarum stilo alienam ad Mimnermi dulcedinem significandam adhibuisse equidem non credo.

Veritatem partim dispexisse mihi videtur Sbardella, qui praeter μεγαλεῖαι etiam μέγα λεῖαι, i.e. magnopere, valde lēves vel lēvia, Callimachum dicere potuisse suspicatus est (Sbardella 2017, 53)[9]. λεῖος apud artis rhetoricae scriptores idem valet atque lēvis, expolitus, planus, lenis, mitis, stilum ergo significat ab omni asperitate mundum eamque suavitatem exhibentem, quam in Mimnermo laudat Callimachus (de stili lenitate vide e.g. Demetr. *Eloc.* 299, ubi λειότης ea virtus esse dicitur, qua Isocratis maxime discipuli pollebant ac sectatores, qui vocales coire non patiebantur); unde initio versus sequentis ᾧ δ᾽ αἰ μ'] scribendum esse cogitat vir doctus, ita ut tota sententia ita evadat: “Mimnermum vero fuisse suavem, e duobus magnopere lēves illae cantiones me docuerunt, non magna mulier”. “Cantiones” autem poetae carmina esse existimat, quae antequam in unum corpus redigerentur et in “magnam mulierem” illam crescerent, seiunctim per convivia volitare ac tibia comitante cani solita esse, idque interdum etiam Callimachi aetate fieri. Non igitur duo inter se diversa Mimnermi opera hic comparari, sed duas eiusdem operis formas, quarum alteram singulis carminibus, alteram eorundem collectione constare, cui titulum *Nanno* antiqui praescripserunt: hanc enim Callimachi temporibus iam plerumque non cantari solitam, sed potius recitari instar epici carminis, unde factum esse ut pristina illa dulcedo, quam singula carmina in conviviis cantata exhibebant, in recitatione (vel etiam lectione) perpetua iam non luceret.

Hic tamen haud iniuria quaerebit fortasse quispiam, cur carmina quae singula suaviter sonarent, eadem si deinceps recitarentur molesta esse debuerint. Nonne et ipsius Callimachi *Aetia*, praesertim si ad libros III et IV spectemus, elegias olim per se stantes complectuntur? Et quis dicat in *Coma Berenices*, postquam in fine *Aetiorum* (forsitan a Callimacho ipso) posita est, stilum poetae iam non agnosci[10]? Dixerim ergo longum Mimnermi carmen *Smyrneida* fuisse (Colonna 1952, 191; vide et. Pretagostini 2006, 23; Casanova 2011, 195), quae fortasse, ut putant quidam, ab Amazone Smyrna nomen duxit ideoque “magna mulier” haud immerito a Callimacho est appellata (vide Allen 1993, 23-26, qui *Smyrneida* circiter quingentis versibus constitisse et inter reliquas elegias sub Nannonis titulo receptam antiquitus fuisse putat).

Quod ad nomen in lacuna supplendum attinet, duo mihi notanda videntur: primum, Callimachum semper Homérico ac poetico more ἀοιδή, ἀοιδός dicere[11], ᾧ δ᾽ vero nusquam apud eum inveniri (sed ἐπῳδαί fr. 197, 44 Pf. et *Epigr.* 46, 9, ubi tamen v. 1 ἐπ᾽ αἰοιδᾶν poeta dixit); deinde, in duobus distichis, quae hic excutimus, poetam metaphorice loqui: ipsa dea Ceres pro poematio stat sibi dicato, ipsa “lancem ad imum trahit”, cui longum carmen im-

positum est, quod haud dissimili ratione figurate significabatur, sive “navem”, sive “anum” seu “Coon” in lacuna supplere mavis. Itidem “magna mulier” dicitur pro carmine perpetuo Mimnermi, cui ergo nomen aliquod figurate, non proprie usurpatum opponi credas. Si ergo poetam μέγα λ[ε]ῖαι scripsisse putemus, in sequenti versu aliquid desideratur quod propter corporis exiguitatem magnae illi mulieri opponatur et brevitatem figurate significet. Optimum erat νήνιες, iuenculae, nisi quod pluralis numerus nusquam occurrit[12]. Adde quod λείος cum nomine ad hominis personam pertinente coniunctum non tam “suavis” valet quam “glaber, imberbis” et speciatim de adulescentibus dicitur, cui nondum barba creverit, sive de hominibus delicatis[13]; audacissimam ergo haberemus iuncturam, si de puellis poetam id dixisse sumeremus (nam μέγα λείαι νήνιες si Italice vertas, habebis “le giovani ben depilate”!). Si quis de vocis suavitate generaliter hic dictum existimet (ex. gr. Plat. *Polit.* 307a 10, *Tim.* 67b 7, *Phileb.* 51d 6: vide LSJ s.v., n. 4), vel etiam de lenibus mitibusque verbis (Aesch. *PV* 647 λείοισι μύθοις), obstat quod vox quidem vel *sonus* ita appellari possunt, at non, quod scio, puella vel avis suavissona: aut ergo initio v. 12 nomen ‘vocem’ vel ‘sonum’ significans ponendum est, i.e. proprie usurpatum, quod propter Cereris et magnae mulieris metaphoras minus probabile esse docuimus; aut in fine v. 11 aliud adiectivum a λ incipiens requirendum est quod ad suavitatem pertineat.

Harum ergo rerum habita ratione, temptaverim equidem μέγα λ[α]ραί. λαρός apud Homerum de cibi vel vini dulcedine ac suavitate dicitur (δείπνον *Il.* XIX, 316; δόρπον *Od.* XII, 283; XIV, 408; II, 349-350 οἶνον ... ὅτις μετὰ τὸν λαρώτατος, ὃν σὺ φυλάσσεις; vide etiam μέθυ *Ap. Rh.* I, 456, 473, 659 ecc.), sed a poetis recentioribus de voce ac verbis saepe usurpatur: apud *Ap. Rh.* III, 933-934, οὔτε λαρόν οὔτ’ ἐρατόν... ἔπος de verbis dicitur mellitis, quibus amantem puellam in iuvenem coram aliis uti pudet; de puerorum cantu *Opp. Cyn.* IV, 348 λαρόν ἀειδῶσι, de fistulae sono Nonn. *Dion.* I, 518-519 θλιβομένοις δονάκεσσιν ὑποκλέπτων τόνον ἡχοῦς, λαρότερον μέλος εἶπε (et de Panis labiis fistula canentis *Alc. Mess. AP* XVI, 226, 1 = 20, 1 G.-P. Ἐμπνέι Πάν λαροῖσιν ὀρειβάτα χεῖλεσι μοῦσαν). Notandi vero sunt in primis duo loci, ubi de *poetarum illustrium suavitate* agitur: ‘Simonidis’ quod fertur epigramma in Anacreontis sepulcrum, *AP* VII, 24 (3 G.-P.), praes. vv. 9-10 νοτερὴ δρόσος, ἧς ὁ γεραιὸς / λαρότερον μαλακῶν ἔπνεεν ἐκ στομάτων; et anonymi lyricorum canon *AP* IX, 571 (*FGE* 1206-1211), ubi ad v. 4 legitur λαρὰ δ’ ἀπὸ στομάτων φθέγγατο Βακχυλίδης, et in versu priore ἦν γλυκύς [!] Ἀλκμάν. Poetam Callimachi prologum novisse atque imitatum esse suspiceris, necnon Bacchylidem ipsum respicere, qui in *Epinicio* 3, 97-98 semet “Ceam Iusciniam linguam mellitam habentem” appellat (καὶ μελιγλώσσου τις ὑμνήσει χάριν Κηΐας ἀηδόνας). In hymno denique anonymo in Apollinem, iam labente aevo antiquo ut vid. composito[14], deus ipse λαρός appellatur (*AP* IX, 525, 12 Λητογενῆ, λαρόν, λυρογηθέα, λαμπετόωντα). Femininum λαρά quod scimus semel tantum occurrit, in Thalli Milesii epigrammate *AP* IX, 220, 4 ἡμερίδος λαρῆς βότρυς ἀποκρέμαται (sed cp. λαροτέρην habent Nonn. *Dion.* LXI, 251 et carmen figuratum *AP* XV, 25, 21; de Iulio Vestino eius auctore vd. Beckby 1965, IV, 547); neque tamen id obstare putamus, quin Callimachum eo uti potuisse existimemus. Quod ad Scholii Londiniensis scripturam

attinet, fortasse scholiasta primo μεγάλ(αι) perperam scripsit, dein cum se erravisse animadvertisset, correcturam ΜΕΓΑ[ΛΑΡΑΙ] i.e. μέγα [λαραί] supra lineam addidit.

Haec nisi vana sunt, quid initio v. 12 scribamus? Fateor quidem me nihil invenisse praesantius illo ἁδόνες a Casanova excogitato: nam Iusciniae et propter cantus suavitatem λαραί appellari (cf. v. 16 μελιχρότεραι¹⁵), et propter corporis tenuitatem aptissime magnae mulieri opponi potuerunt. Poterat fortasse etiam ἀκρίδες proponi, cum grylli quoque (*Acheta domesticus* L.) propter cantum dulcissimum ita laudari solerent, ut saepe eius gratia ab hominibus (praesertim pueris vel puellis) alerentur, et postquam mortui essent, nonnunquam a poetis carminibus celebrarentur (vide e.g. AP VII, 190, 192, 194, 197, 198, etc.). Neque inopportune praeclarus ille locus Theocriti *Thalysiorum* menti subvenit, ubi Simichidas prae excellentibus illius temporis poetis, ut sunt Asclepiades (cognomento Sicelidas) et Philitas, se quasi ranam cum *gryllis* certare ait (*Id.* 7, 39-41):

οὐ γάρ πω κατ' ἐμὸν νόον οὔτε τὸν ἐσθλόν
Σικελίδαν νίκημι τὸν ἐκ Σάμῳ οὔτε Φιλίταν
ἀεῖδων, βάραχος δὲ ποτ' ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω.

Plura tamen me retinent quominus ἀκρίδες in Callimacho restituendum confidentius proponam: primum, quod hoc nomen nusquam reperio pro 'poesi' adhibitum (nam in Theocrito similitudo est, non metaphora, et *poetas* potius quam *poesim* significat), contra ἁ(η)δόνες saepe eo sensu adhiberi supra illustravimus; dein, ΑΚΡΙΔΕΣ una littera longius est quam ΑΔΟΝΕΣ, licet iota non multum spatii requirat. Tertium, si ad v. 16 ἁ[η]δονίδες restituendum est, probabilius videtur eandem metaphoram etiam priore loco a poeta adhibitam esse, quam carmina breviora nunc 'gryllos', nunc 'Iuscinias' appellari. Utcumque res est, cautius esse in praesens decrevi in optimo ἁδόνες acquiescere.

Sive ergo sententiam meam probabis sive minus, lector benevole, haec saltem te satis docuisse videor, scilicet qua ratione Callimachus (ut alii poetae complures) quid de carminibus scribendis sentiret ipsis carminibus, sermone usus poetico et figuris ornato, contra obtrectatores disputaverit; neque illud minoris momenti est, quam periculosum sit, si alicuius studiosi opinione auctoritateque contenti veritatem inquirere neglegamus. Vere enim Bastianini, qui primus post septuaginta annos oculos ad papyrum iterum admoveere ausus est, primusque obsistere contra communem opinionem, virum Callimacheum se praebeuit, cum spreto amne lutulento, viam angustam et plaustis non calcatam ingressus, ad purissimum fonticulum conversus aquam veritatis hausit.

Adnotationes

[1] *P.Oxy.* 2079, ed. Hunt 1927, 45-57; accedunt notae A.E. Housman ap. eund.; novas editiones paraverunt inter alios Pfeiffer 1949, 1-8; Massimilla 1996, 57-64; Asper 2004, 66-68; Harder 2012, I, 115-125.

[2] Haec editio, licet H.J.M. Milne nomen prae se ferat, rectius H.I. Bell et ipsi A. Hunt tribuenda est, qui

missis invicem epistulis textum a Milne transcriptum pluribus auxerunt emendationibus, ita ut longe alius evaserit; vd. Lehnus 2006, 134-138.

[3] Ita Rostagni 1928, 11 (vide et. Lehnus 2006, 140), non “λεπτὸν supra κατὰ”, ut apud Pfeiffer 1949, 3 in apparatu legitur.

[4] Sunt qui Callimachum in v. 9 de se ipso loqui putent et ἔην pro prima verbi persona accipiant (vd. e.g. Pfeiffer 1949, appar. ad I.; Pretagostini 2006, 22); at quamvis poeta obscuram breviter diligit, nimis abrupta atque improvisa videretur Philiteae Cereris mentio versu sequenti facta.

[5] Videlicet poeta Homeri ‘Kerostasian’ quae dicitur (Il. XXII, 209-213) respexit, necnon Aristoph. *Ran.* 1365 sqq., ubi versus Aeschylī et Euripidis libra ponderantur (vd. Gargiulo 1992 et Massimilla 1996, 212).

[6] Vd. Köhnken 2001, 77-80. Callimachum invicem *Argonautica* novisse, aut saltem totius operis formam ac rationem, verisimile est, tametsi non certum (vd. Harder 2019, 12); aliter Murray 2014 et 2019, quae *Argonautica* non ante annum a.C. 238, i.e. post *Aetia* confecta, scribi coepta esse contendit, ergo Callimachum Apollonii opus legere nondum potuisse. Quod si ita sit, *longa navis* ad cyclica *Naupactia* (frr. 1-12 Bernabé; vd. Debiasi 2003) vel huiusmodi priscum carmen spectare potuit; Callimachum cyclicos poetas praecipue fastidivisse ex *Epigr.* 28, 1 Ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικόν manifeste apparet.

[7] Plura exempla apud Casanova 2011, 195-196, qui ad formam contractam ἀδόνες confert [Mosch.] 3, 9 necnon ἄδονιδες in Theocr. *Epigr.* 4, 11 = 20, 11 G.-P. et [Mosch.] 3, 46.

[8] Vide e.g. Xen. *Mem.* II, 1, 34; IV, 1, 4, al.; Men. *Perinth.* fr. 2, 3 Kassel-Schröder; LXX *Deut.* 11, 2, 3; Polyb. VIII, 1, 1, etc.; adverbium μεγαλείως apud Xen. *Oec.* 11, 9, al.; Plat. *Thet.* 168c 4-5 (cp. μεγαλειότερον), *Hipp. ma.* 291e 3; Antiphan. fr. 190, 2 K.-A.; Alex. fr. 216, 6 K.-A. [corrupt.]. In Paeane in T. Quintium Flaminium composito (Powell, *CA* p. 173), cuius Plut. *Flam.* 16, 7 aliquot versus excerpit, ad v. 2 μεγαλειοτάταν coniecit Farnell, sed μεγαλευκτοτάταν habent edd. plerr.

[9] De iunctura neutri μέγα adverbialiter usurpati cum adiectivo vide LSJ s.v., necnon exempla ibi allata: μέγ’ ἔξοχος Il. II, 480, νήπιος XVI, 46; μ. νήπιε Orac. ap. Hdt. I, 85, 2 (Q 102 Fontenrose); μ. πλούσιος Id. I, 32, 5; VII, 190; ὦ μέγ’ εὐδαίμων κόρη Aesch. *PV* 647.

[10] Callimachus quo tempore ordine ratione *Aetiorum* libros composuerit et ediderit, vehementer disputatur; vide Massimilla 1996, 34-40.

[11] ἰοιδῇ in ipso *Aetiorum* initio, fr. 1, 1 Hard.; praeterea ibid. v. 19, necnon frr. 57, 1 Hard.; *lamb.* fr. 203, 29 Pf.; *Hymn.* II, 17, 44; III, 137, etc.; ἰοιδός Aet. fr. 1, 23 Hard.; *lamb.* fr. 203, 53 Pf.; inc. sed. fr. 494, 1 Pf.; *Hymn.* I, 60, 71; II, 18, 43, 106, etc.

[12] Praeter singularem dativum νήνι apud Anacr. fr. 13, 3 Gentili obvium, formam Ionicam a νεάνις contractam sola grammaticorum scripta, lexica et Byzantina Etymologica testantur: Arcad. *De pros. cath. Epit.* p. 34, 21 Schmidt; Orion *Etym.* p. 111, 3 Sturz; *Epimer. Hom.* 1 A1, 68, p. 60, 1 Dyck; *Et. Gud.* p. 392, 12-13 Sturz; *EM* p. 448, 29 Kalliergis; 604, 8, etc. Accedit inscriptio NHNI[Σ] puellae imagini apposita in vase Attico saeculi V exeuntis rubris figuris picto et Athenis in Museo Arch. Nat. servato (inv. 1561; AVI 0793; cf. Luppe 1997, 54).

[13] Vide Strat. *AP* XII, 13, 1, necnon Floridi 2007, 158 ad I.; praeterea Thgn. II, 1327 ὦ παῖ, ἔως ἂν ἔχης λείαν γένυν; Ar. fr. 229 K.-A. καὶ λείος ὥσπερ ἔγχευς, χρυσοῦς ἔχων κικίννους; Pl. *Com.* fr. 60 K.-A. ἐψάθαλλε λείος ὦν. In Theocr. 5, 90 Κρατίδας ... ὁ λείος ὑπαντῶν, fortasse λείος pro ‘leniter, suaviter’ accipiendum et cum verbo coniungendum, vide Gow 1952, II, 107-108 ad I.

[14] Non multum enim a priore carmine (*AP* IX, 524) stilo differt, quod ad a.D. circiter 500 rettulerunt studiosi, cf. Beckby 1965, III, 524.

[15] μελιχρός, sicut λαρός, de vini ‘melliti’ dulcedine dicitur (Alc. fr. 338, 7 V.; Anacr. fr. 110, 1 Gent.; Teleclid. fr. 27 K.-A.), sed etiam de poetis (Hermesian. *CA* fr. 7, 51 Pow., de Anacreonte; Simias *AP* VII, 22, 5, de Sophocle) sive de eorum carminibus (Call. *Epigr.* 27, 2 Pf., de Hesiodi *Operibus*, quorum suavitatem Aratus in *Phaenomenis* imitatus sit).

Librorum conspectus

Allen 1993

A. Allen, *The Fragments of Mimnermus. Text and Commentary*, Stuttgart 1993.

Angiò 2007

F. Angiò, *Callimaco*, Aitia, fr. 1,11–12 Pf. (= 1, 11–12 M.), “Zeitschrift für Papyrologie und Epigraphik” 160 (2007), 32.

Asper 2004

M. Asper, *Kallimachos, Werke. Griechisch und Deutsch*, Darmstadt 2004.

Barigazzi 1956

A. Barigazzi, *Mimnermo e Filita, Antimaco e Cherilo nel proemio degli Aitia di Callimaco*, “Hermes” 84/2 (1956), 162-182.

Bastianini 1996

G. Bastianini, Κατὰ λεπτὸν in *Callimaco* (fr. 1.11 Pfeiffer), in M.S. Funghi (ed.), Ὀδοὶ διζήσιος. *Le vie della ricerca. Studi in onore di Francesco Adorno*, Firenze 1996, 69-80.

Bastianini 2006

G. Bastianini, *Considerazioni sulle Diegezeis fiorentine (PSI XI 1219)*, in Bastianini, Casanova 2006, 149-166.

Bastianini 2009

G. Bastianini, *Ancora su Callimaco*, fr. 1,11, “Comunicazioni dell'Istituto Papirologico G. Vitelli” 8 (2009), 87-91.

Bastianini, Casanova 2006

G. Bastianini, A. Casanova (a cura di), *Callimaco: cent'anni di papiri*. Atti del convegno internazionale di studi (Firenze 9-10 giugno 2005), Firenze 2006.

Beckby 1965

H. Beckby, *Anthologia Graeca*, bd. I-IV, München 19652.

Benedetto 1990

G. Benedetto, *Una congettura di Augusto Rostagni (Call. Fr. 1. 11 Pf.)*, “Quaderni di Storia” 32 (1990), 115-137.

Cameron 1995

A. Cameron, *Callimachus and his Critics*, Princeton 1995.

Casanova 2011

A. Casanova, *Ancora su Mimnermo e Filita (e Apollonio) nel prologo degli Aitia*, “Prometheus” 37 (2011), 193-199.

Casanova 2015

A. Casanova, *Leggere oggi i primi versi del prologo degli Aitia*, “Prometheus” 41 (2015), 141-154.

Colonna 1952

A. Colonna, *Mimnermo e Callimaco*, “Athenaeum” 30 (1952), 45-57.

Coppola 1932/33

G. Coppola, *Il prologo degli Aitia ed il commento di Epaphroditos*, “Rendiconti dell'Accademia delle Scienze dell'Istituto di Bologna, Classe di Scienze Morali” s. III 7 (1932/33), 30-55.

Debiasi 2003

A. Debiasi, Ναυπάκτια - Ἀργοῦς ναυπηγία, “Eikasmós” 14 (2003), 91-101.

Edwards 1930

W.M. Edwards, *The Callimachus Prologue and Apollonius Rhodius*, "The Classical Quarterly" 24 (1930), 109-112.

Floridi 2007

L. Floridi, *Stratone di Sardi. Epigrammi*, Alessandria 2007.

Gallavotti 1933

C. Gallavotti, *Il prologo e l'epilogo degli Aitia*, "Studi italiani di filologia classica" 10 (1933), 231-246.

Gargiulo 1992

T. Gargiulo, *L'immagine della bilancia in Callimaco, fr. 1, 9-10 Pfeiffer*, "Quaderni Urbinati di Cultura Classica" n.s. 42/3 (1992), 123-128.

Gow 1952

A.S.F. Gow, *Theocritus, I Introduction, Text, and Translation, II Commentary, Appendix, Indexes, and Plates*, Cambridge 1952.

Harder 2012

A. Harder, *Callimachus, Aetia. Introduction, Text, Translation, and Commentary, I-II*, Oxford 2012.

Harder 2019

A. Harder, *Aspects of the Interaction between Apollonius Rhodius and Callimachus*, "Aevum Antiquum" n.s. 19 (2019), 9-34.

Hollis 1978

A.S. Hollis, *Callimachus, Aetia Fr. 1.9-12*, "The Classical Quarterly" 28/2 (1978), 402-406.

Hunt 1927

A.S. Hunt, *The Oxyrhynchus Papyri Part XVII*, London 1927.

Köhnken 2001

A. Köhnken, *Hellenistic Chronology: Theocritus, Callimachus, and Apollonius Rhodius*, in Th.D. Papangelis, A. Rengakos (eds.), *A Companion to Apollonius Rhodius*, Leiden 2001, 73-92.

Lehnus 2006

L. Lehnus, *Prima e dopo αἱ κατὰ λεπτὸν*, in Bastianini, Casanova 2006, 133-147.

Luppe 1997

W. Luppe, *Kallimachos, Aitien-Prolog, V. 7-12*, "Zeitschrift für Papyrologie und Epigraphik" 115 (1997), 50-54.

Maas 1934

P. Maas, *Neue Papyri von Kallimachos Αἴτια*, "Gnomon" 10/3 (1934), 162-165.

Massimilla 1996

G. Massimilla, *Callimaco, Aitia. Libri primo e secondo*, Pisa 1996.

Matthews 1979

V. Matthews, *Antimachos in the "Aitia" Prologue: A New Supplement*, "Mnemosyne" IV ser. 32/1-2 (1979), 128-137.

McKay 1978

K.J. McKay, *A Lost Work of Philotas?*, "Antichthon" 12 (1978), 36-44.

McNamee 1982

K. McNamee, *The Long and Short of Callimachus Aetia fr. 1. 9-12*, "The Bulletin of the American Society of Papyrologists" 19/1-2 (1982), 83-86.

Milne 1927

H.J.M. Milne, *Catalogue of the Literary Papyri in the British Museum*, London 1927.

Milne 1929

H.J.M. Milne, *Callimachus on Mimnermus*, "The Classical Review" 43/2 (1929), 214.

Milne 1931

H.J.M. Milne, *Bibliography: Graeco-Roman Egypt A. Papyri (1929-1930)*. 1. *Literary Texts*, "The Journal of Aegyptian Archaeology" 17/1-2 (May 1931), 118-120.

Murray 2014

J. Murray, *Anchored in Time: the date in Apollonius' Argonautica*, in M.A. Harder, R.F. Regtuit, G.C. Wakker (eds.), *Hellenistic poetry in context*, Leuven 2014, 247-284.

Murray 2019

J. Murray, *Quarrelling with Callimachus: a Response to Annette Harder*, "Aevum Antiquum" n.s. 19 (2019), 77-106.

Norsa, Vitelli 1933

M. Norsa, G. Vitelli, *Da papiri della Società Italiana*, "Bulletin de la Société Archéologique d'Alexandrie" 28 (1933), 123-132.

Norsa, Vitelli 1935

M. Norsa, G. Vitelli, 1217, 1218, 1219, in *Papiri della Società Italiana XI*, Firenze 1935, 129-149.

Pfeiffer 1949

R. Pfeiffer, *Callimachus, I: Fragmenta*, Oxonii 1949.

Pretagostini 2006

R. Pretagostini, *La poetica callimachea nella tradizione papiracea: il frammento 1 Pf. (= 1 M.)*, in G. Bastianini, A. Casanova (a cura di), *Callimaco: cent'anni di papiri*. Atti del convegno internazionale di studi (Firenze 9-10 giugno 2005), Firenze 2006, 15-27.

Puelma 1957

M. Puelma, *Kallimachos-Interpretationen, I. Philetas und Antimachos im Aitienprolog*, "Philologus" 101 (1957), 90-100.

Rostagni 1928

A. Rostagni, *Nuovo Callimaco, I: Il prologo degli Aitia, testo e interpretazione; II: Callimaco e Apollonio Rodio: conclusioni; Appendice per la storia degli Aitia*, "Rivista di Filologia e di Istruzione Classica" 56 (1928), 1-52.

Sbardella 1996

L. Sbardella, *L'opera "sinora ignota" di Filita di Cos*, "Quaderni Urbinati di Cultura Classica" n.s. 52/1 (1996), 93-119.

Sbardella 2017

L. Sbardella, *Dai canti simposiali alla 'grande donna': Mimnermo e i suoi epigoni nel prologo dei Telchini di Callimaco*, "Rivista di Filologia e di Istruzione Classica" 45 (2017), 47-74.

Spanoudakis 2001

K. Spanoudakis, *Poets and Telchines in Callimachus' "Aetia"-Prologue*, "Mnemosyne" IV ser. 54/4 (2001), 425-441.

Spanoudakis 2002

K. Spanoudakis, *Philitas of Cos*, Leiden-Boston-Köln 2002.

Wimmel 1958

W. Wimmel, *Philitas im Aitienprolog des Kallimachos*, "Hermes" 86/3 (Nov. 1958), 346-354.

English abstract

The well-known passage of the prologue of Callimachus' *Aitia* (fr. 1, 9-12 Pf. = Hard.) in which Philitas and Mimnermus are praised has puzzled scholars for almost a century: it is not clear, in fact, whether the poet is comparing their short poems to long works by themselves or by other authors, such as Antimachus or Apollonius. The latter's *Argonautica* are possibly the work which was referred to by a noun in the lacuna at the beginning of v. 10 (perhaps νηῦν/ναῦν, or even ὄρν); as to the former, the "big lady" of v. 12 is likely to be his *Smyrneis*, to which the other short elegies are opposed, which were evoked by a metaphoric expression now lost in the lacuna. After Bastianini, who dismissed Rostagni's old reading αἱ κατὰ λεπτόν as palaeographically impossible and read αἱ μεγάλ(αι) with μεγα written above in the London scholium, the supplement αἱ μέγα λ[αράι / ἁδόνες] (ἁδόνες already suggested by Casanova), i.e. "the very sweet-voiced nightingales", is proposed.

keywords | Callimachus; Philitas; Mimnermus; Comparison; Textual Criticism.



la rivista di **engramma**
giugno **2025**
225 • μετὰ τὰ κριτικά

**μετὰ τὰ κριτικά. Debate and Polemic as Strategies of Knowledge
in Ancient Greek Culture**

Vincenzo Damiani and Roberto Indovina

Polemics in Antiquity

Was können die Musen Hesiod lehren?

Mauro Tulli

Un dibattito antico sulle strategie argomentative

Marianna Angela Nardi

Antike Kritik an der sokratischen Pädagogik am Beispiel der Epikureer

Vincenzo Damiani

Con o senza akribeia?

Selene I.S. Brumana

Ancora sull'οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον

Luigi Trovato

Modern and Contemporary Critical Debates

Critias' Pirithous and Aristophanes' Frogs

Monica Centanni

Lisistrata e il Commissario

Alessandro Grilli

De "magna muliere" in Callimachi Aetiorum prologo nonnulla disputantur

Paolo B. Cipolla

Arqueología filológica y filología arqueológica

Roberto Indovina